

73  
118  
49

II h  
1157

*De facta regis Francie quo sumis laboribus  
santeo resistantibus.*

# GALLIAM GLORIOSISSIMI IMPERATORIS JOSEPHI,

SUMMORUMQUE FOEDERATORUM

Iustis armis nunc turbatam,

Ante Solemnem

PRÆMIORUM

Ab Illustris Senatûs Vratislaviensis Munificentia  
acceptorum

Juventuti Gymn. Magdal. Selectori,

D. II. DECEMBR. A. O. R. M. DCC. VI.

In Scenam producendæ

destinatam Distributionem

intimat

SIMON TITIUS.

-----

VRATISLAVIÆ,

In Officina BAUMANNIANA Typis exprimebat

JOHANNES JANCKIUS,

Typographeus Præfectus.



## Lector Venerande, Amande.

**R**erum in Galliâ & Naturâ, & Curâ, & Structurâ memorabilium, imò verò admirandarum segetem esse copiosissimam, illi non modo noverunt, qui Regnum isthoc decantatissimum geographicò stilo orbi erudito ob oculos ponunt, sed & illi, qui in Naturâ vel Arte ingenium exercent, quibusque abstrusa illa, velut olim Euripus Philosophorum Principi Aristoteli, scientiarum metam ponunt; illisque qui in exhaustâ scrutandi, & indefessâ Curâ alios artibus superandi studium adhibent, crucem figunt. Ejusmodi igitur exempla, qua Naturâ & Curâ variationem cognoscendi viam quasi nobis intercludunt diversa hic noster Actus referet. Hac chartæ facie non nisi unico Paradigmate sollicitum animum si non sedabimus, tamen non frustra exercebimus, de Tactu nimirum Regis Franciæ, quo strumis laborantium restitutum non tantum narratur, sed quam & *aisolvia* multorum contestatur. Fidem plurimorum suo præprimis testimonio confirmat Rerum Galliarum periculis Lymnæus, qui *aisolvia* Notit. Franc. l. 2. c. 5. p. 376. Solennem actum, quo strumosi, à Rege tanguntur, hunc in modum exponit: Strumis laborantes, quotquot numero sunt, postquam ab Archiatro Regio, ejusque Collegis & Chirurgis aulicis diligenter examinati, quo morbo affecti sint (sub dio, quod Turonibus; seu ambulacro quodam spatiofo, ut Parisiis in Lupara, En la grande gallerie vidi;) conveniunt, ab illis, quorum muneris hoc est ita collocantur, ut primum locum teneant Hispanii, has sequantur alii exteri, & ultimi sint Galli. In duplicem enim lineam ut plurimum disparantur, quarum una à dextris, altera à sinistris, tanto intra utramque spatio relicto, ut ad minimum tres quatuorve personæ, uno ordine, sine impedimento incedere possint. Ubi tempus adventus Regis appropinquat, procumbentes in genua cum præfolantur. Ad ingressum Regis junctas manus more supplicantium elevat morbofi. Præcedunt Prætoriani milites, Officiarii aulici, nec non Sceptro-geruli; Sequitur Rex nudo Capite, devotè orantem gestibus representans, Medici Regii à tergo agrorum sunt; quorum capita stringentes, uniuscujusque Regi transeuntii quasi offerunt. Hic extenso paulisper brachio dextro, manu perfunctorie, vel leviter tangit decussatim faciem oblatam, & addit verba; **LE ROY TE TOUCHE, DIEU TE GUARISSE.** (Rex Te tangit, Deus te sanet) Hæ Ceremoniæ, eademque verba reiterantur, ad singulos; Insequentes autem Eleemosynarii unicuique horum, quos tetigit Rex, (vel loco viatici, vel in reigestæ memoriâ) aliquantum pecuniæ tradunt. Addi posset Gôlnitz Ulyss. Belg. Gallic. p. 143. qui rem aliquibus circumstantiis adhuc paulo clarius exponit; & Grammond, Parlamenti Tolosani Præf. Histor. Gall. l. 1. p. 19. Quibus Rei gestæ datis circumstantiis, fide, que Scriptorum gravissimorum asserita, haut immerito oboriuntur quæstiones,

I. A quo hoc beneficium sanandi initium sumpserit? Et laudatur præprimis Stephanus Forcatulus de Imper. & Philof. Gall. l. 1. p. 128. qui Chlodoveo hanc gratiam divinitus concessam fuisse asserit. Intimus enim erat, (verba sunt dicti Autoris) & fidelissimus Chlodoveo Vir, Lanicetus nomine &c. Is strumis, morbo tam feodo, quam pertinaci correptus, glandulis concretis, circa guttur, tumens; cumque rusticorum experimento Corn. Cels. admonisset, si quis anguem ederet, liberari, idque frustra bis tentatum esset, & medicina insuper herbis & ferro adurente armata, ac vi morbi toties superata præ pudore delitesceret, per quietem est visum Chlodoveo Regi, se guttur Laniceti permulceret & attrèctare, & confestim coclestem splendorum rutilis flammis totum cubile impleri, & ibidem Lanicetum, nullius cicatricis notâ remanente, sanum & incolumentem evadere. Lætiore solito Chlodoveus, & pro amici salute anxius, cum primum diluxit, surgens, Deo primum operatus, periculum fecit, si tactu suo morbum evellere quiret, ut quidem accidit plaudentibus omnibus, & Deo gratias agentibus. Forcatulo ad stipulatur Laurentius, Henrici IV. Archiatr de mir. Strum. San. l. 1. c. 2.

II. Quæstio quæ de hoc tactu Regio haut immerito movetur: An hæc admiranda Strumas Sanandi ratio à Chlodoveo usque ad modernum Regem Galliæ non interruptâ serie derivata fuerit? Affirmat laudatus Forcatulus l. c. p. 129. qui eandem hanc Strumas Sanandi Sacram facultatem ad liberos & posteros reges Gallorum sempiternâ serie à Chlodoveo transmissam esse confidenter asserere audeat, re divinâ prius factâ. Verum enim vero hæc posterior de propagatione hujus insignis virtutis ad Reges posteros assertio parum apud nos, haud sine rationibus, invenit fidei & assensus. Etenim Chlodoveus Unctione, (quâ peracta demum Franciæ Reges eos,

propa-

quibus strumæ infectæ sunt, tactu curare solent, & cui virtutem hanc vulgò attribuunt) non fuit inauguratus; quod argumentum nobis, perquam commode suggerit Joh. Til. Comm. de Rebus Gall. l. 2. f. 110. S. enim Remigius in Test. ejus genuinum exemplum exhibet Chifflet de Ampullâ Remens. c. 3. f. 9. tantum ait, se Dominum illastris memorie HLUDOVICUM de S. Baptismatis fonte suscepisse, nullâ de Unctione & inauguratione regiâ injectâ mentione. Sic & Gregorius Turonensis l. 2. c. 31. folius Baptismi Chlodoveani, nullius v. Unctionis regiæ meminit. Primus autem demum, qui ex Francorum Regibus Unctionem admisit, Tesse Tiljo in Comm. adducto l. 1. f. 23. fuit Pipinus Caroli M. Patris, ubi jam initium factum Familiæ Secundæ Regiæ, quæ Carolinorum dicitur; prima enim erat Morovinorum vel Merovingorum, quorum primus Rex Pharamundus commemoratur. Imo verò ipse regius annualium Scriptor Scipio Dupleix in Ludovico IX. candidè illis, qui virtutem hanc Scrophas curandi à Chlodoveo derivant, contradicit. Quid enim his verbis clarius? Ego inquit nullum adhuc documentum, nullum vestigium ejus gratiæ in duabus primis regnorum familiaris vidi. Nec veri simile est, si eâ curatione præditi fuissent, ejus temporis historicos; in Scribendis multis miraculis minoris momenti satis curiosos præteruisse istud tam nobile & gloriosum Familiæ Regum Franciæ. Quod ad Familiam tertiam, quæ Capetingorum vel Capetinorum est, & ab Hugone Capeto incepit, primus qui hanc facultatem habuit, ipse Capetus fuisse dicitur. Ad quod tamen etiam negat laudatus Scipio Dupleix, & neque argumentum neque exemplum ejus ante regnum Philippi I. inveniri tradit apud Lymn. Notit. Franc. p. 387. à quo constanti successione ordine usque ad hodiernum Galliæ Regem virtus hæc cum regno descendit. Ne quis vero hanc virtutem loci alicujus salubritati adscribere possit; constat non solum in Campaniâ, post unctionem & preces in templo S. Marculsi habitas, sed & Lutetiæ Parisiorum, in Turonia, in Aquitaniâ (quæ de re Grammond l. 8. p. 389.) quinimò & extra Gallias pristina Sanitati ægrotos feliciter ab his Regibus fuisse restitutos. Carolus VIII. Romæ & Genæv; Franciscus I. Bononiæ, & in Hispaniâ, ubi in Castodiâ à Carolo V. tenebatur (ut habet Lymn. l. c. p. 389.) strumofus curavit. Porrò si Rei veritatem exquisitus indagare conemur, verbis P. de Lancre omnino convincimur, qui inter alia hunc in modum argumentatur: Res adeo clara est, atque nota, ut ne ipsi quidem Hispani de eâ re dubitare auint. Si enim Rex Hispaniæ hæc non crederet, sane non permetteret tot miseris Hispanis (urpote cum hæc Natio malo illo præter alias afficiatur) strumarum virio infectis, sanitate emendicare in eo regno, quod jam per aliquot secula communi consensu tanquam hostile solum odio prosequuntur. Satis vero novit, uno anno plures Hispanos recuperandæ sanitatis causâ, coram Rege Franciæ se prosternere, quam alios altiarum Nationum intra quinquaginta Annos. Nec ab hoc argumento abluat Blondel. General. Franc. Ass. t. 1. f. 70. Conf. & Lansius in Oratione pro Galliâ p. 207. Objicere quis possit, & negare perpetuitatem hujus Curationis ex Hubert. Moro de S. Un. l. 3. c. 5. qui Henricum III. Franciæ Regem, eâ Sanandi mirificâ virtute carnisse autor est. Cui accedit & Boisfardus de Divin. c. 11. qui scribit admirabilem hanc Virtutem ad Tempora Filiorum Henrici II. finem sumisse. Ejusdem commatis Exemplum etiam occurrit in Ludovico Crasso Philippi I. Filio, qui ob aliquam incidentem Culpam hujus miraculi gloriam amisisse dicitur, annorante Blondel. Gen. Franc. plen. Ass. t. 1. præf. Apol. f. LXX. vid. & Robert. Gagvin. Hist. Franc. l. 6. c. 1. & Til. l. c. 1. f. 41. Verum enim vero si quid Fidei adductis Autoribus tribuendum, constat tamen ex Autoribus à Lymnæo in Notit. Franc. p. 384. 385. adductis Henricum IV. adeo feliciter strumis laborantes curasse, ut singulis post consecrationem suam annis strumoforum ad quatuor millia tetigerit. Quid Filius Successor Ludovici XIII. præstiterit, ex Grammond. hist. Gall. l. 1. p. 19. & l. 8. p. 389. constat; eum, post sacrum strumaticos mille quingentos per tactum ex insanabili morbo convalescentes dimisisse; nec Ludovicum XIV. hodiernum Galliarum Regem Parente, in sanandis, malo hoc infectis inferiorum esse, illi norunt, quibus strumofos à Rege tangi videre contigit, præterquam quod Historici testantur; ita enim Thuldenus Hist. l. 3. p. 172. narrat, quod Remis unctus tria fere millia strumoforum tetigerit.

III. Tandem discipiendum, an hæc Virtus sanandi miraculosa solis Regibus Franciæ competat? Afirmat Forcatulus qui de Imper. Gall. l. 1. p. 132. ita confidentissime scribit: Solus mortalium Rex Gallorum immortalis medicandi dote præfulget, & strumofos mirabili tactu opitulandi. Constat vero ex Polydoro l. 8. Rerum Anglicarum idem beneficium in Anglorum Reges

ab

EXTRA 1159

X 3420776

ab Edvardo Normanno manasse; Cujus Testimonio & Forestum in Observat, Chirurg 1, 3. p. 295. adjungam; cujus hæc sunt verba: Rex Edoardus, ut referunt historiæ, solebat divinitus solo tactu sanare strumofos, Quod immortale munus jure veluti hæreditario ad Reges posteros manavit. Nam Reges Angliæ etiam nunc, ut quidam referunt, tactu ac quibusdam hymnis, non sine ceremoniis prius recitatis strumofos sanant. Quali quidem actu se interfuisse testatur Generosus Dominus de Mandelsto cum Carolus I. magnæ Britannia Rex malo hoc infectos Festo Epiphan, tangeret, qui eundem Actum 1. 2. Itin. Indic, c. 25. fati luculenter describit, Idquod & de Carolo II. Magnæ Britannia Monarchâ constat, eundem & Brædæ in Belgio retigisse, & in Anglia strumofos tactu suo sanasse. Ex quibus exemplis satis superque patet in ceremoniis & modo, quo tactus per agitur, aliquam quoad Potentissimorum horum Regum tangendi rationem, intercedere differentiam, non tamen solum Regem Franciæ hanc Santandi habere Virtutem. Hæc igitur cum ita se habeant, quid nobis hæc datâ ansâ optandum, quam ut hostium omnium insolentia turgide, ac quasi strumofæ cervices Gloriosissimo nostro Imperatori JOSEPHO subjiciantur, eorum rigor sanetur, lenique Principis cleo ad amcenissimam Pacis tranquillitatem fleantur. Cæterum cum crastina Lux, favente divino Numine, horis ab octava matutinis, Actui Solenni, cui Præmia, à Magnifico Senatus Manu munificentissimâ transmissa, quæ Juventuti Gymnasticæ selectiori distribuuntur, sit destinata; à vobis Patres Patriæ - Clementissimique Scholarum nostrarum Nutritii, reliquisque cujuscunque Facultatis florentissimæ hujus Reip. Membris amplissimis, eâ quâ decet observantia rogamus, ut Juventutis nostræ Actionem vestra honoratissimâ Præsentia ornare non dedigemini, rerumque Gallicarum Selectum memorabilem imò vel admirandum haut avertis auribus excipere sustineatis, & omnia tandem in meliorem partem suscipere haut ægrè feratis. Pro quâ singulari Gratia, Amoris & favoris munere Studia nostra pollicemur promptissima. PP. Ipsi Cal. Decemb. A. O. R. M. DCC. VI.

Series Dicturorum & Dicendorum.

- Sc. I. Philochoro Galliam petituto *Christiano Godofr. Domaratio, Olav. Sil.* Duo ex peregrinatione reduces, *Joh. Godofr. Fiedler, & Carolus Gotth. Oehmb, Vrat.* Galliam in Compendio se demonstraturos pollicentur.
- Sc. II. Ipsâ Gallia Ephr. *Frider. Lerchenberger, Herstadt. Siles.* Statu moderno turbata Provincias suas XII. convocat, quarum Septem suos Gubernatores sistent.

PROVINCIAE.

- I. L' Isle de France, *Georg Pauli, Dresden.* II. Lion *Godofr. Willb, Strasburg, Vrat.* III. Orleans. *Ernest. Gotth. Oehmb, Vrat.* IV. Bretagne, *Mich. George, Vrat.* V. Provincia, *Andreas Ulricus, Vrat.*

GUBERNATORES.

- VI. Gviennæ *Joh. Frider. Plantico, Stargard. Pom.* VII. Langvedoci, *Martinus Dallmer, Arnds Kron, Polon.* VIII. Dauphinæ, *Carol. Babenzin, Julsburg. Sil.* IX. Bourgognes, *Joh. Adam Domaratus, Olav. Siles.* X. Champagnia, *Joh. Casp. Roth, Lign.* XI. Piccardia, *Theodorus Krause, Schwidn.* XII. Normandia, *Georg. Frider. Wincklerus, Vrat.* Quib. se jungunt Geometra & Histor. iidem qui in Scen. I. prodierunt ex Gallia reduces Socii.
- Sc. III. Redeunt tres Socii Scenæ I, & de Gallia Cifalpina & Transalpina differunt. It. de Lotharingia & de Ditione Franche Comte, quare in Numero XII. Provinciarum Gallia non fuerint inventa.
- Sc. IV. Rex Gallia *Christian. Ulricus de Köschenbar, Eq. Sil.* Cum Aulicis suis, qui in Sc. II. Titulo Gubernatorum indigitati, statum Regni confert. ejusdemque amplitudinem, munimenta, portus & alia scitu neccessaria explorat.
- Sc. V. Tres Socii Germanici ex Gallia reduces ejusdem regni nonnulla admiranda à se visa prædicant, *Joh. Melch. Brachvogel, Olsn. Siles. Tob. Steindörner, Olsn. Sil. Joh. Eynoff, Haackhous, Vrat.* Quib. finitis Sociorum medius Fortuna Inconstantiam, statum Gallium concernentem mixtis instrumentis Musicis, decantabit; cui succedet Brabeta qui oratione brevi præmissâ ad Sen. Magnifici Congiariorum Distributionem se accinget; quam Functionem denique Gratiarum Actione Beneficarius ex Actorum numero claudet.

s. D. G.



F 1/2  
118  
49

II h  
1157

*De tactu regis Francie quo sumis labo-  
rante consistantur.*

# GALLIAM GLORIOSISSIMI IMPERATORIS JOSEPHI,

...UMQUE FOEDERATORUM

...ris armis nunc turbatam,

Ante Solemnem

PRÆMIORUM

Senatûs Vratislaviensis Munificentia  
acceptorum

Gymn. Magdal. Selectori,

DECEMBR. A. O. R. M. DCC. VI.

n Scenam producendæ

destinatam Distributionem  
intimat

SIMON TITUS.

-----

VRATISLAVIÆ,

BAUMANNIANA Typis exprimebat

JOHANNES JANCKIUS,

Typographeus Præfectus.

